

Statuta monastica ad S. Lambertum in Styria superiori a nonnullis Abbatibus a saeculo XV.—XVIII. data.

(Mitgetheilt von Victorin Weyer, O. S. B. zu St. Lambrecht.)

(Fortsetzung und Schluss zu Heft II, S. 307—314.)

Statuta ab Abbate Benedicto anno 1639 conventui in monasterio proposita.

Benedictus Pierin, Venetus Venzone, Abbas (1638—1662) indefesse regularem et litterariam disciplinam promovit. Specialibus litteris a Nuntio Viennensi, Malatesta Baleono hortatus, ut in suo monasterio pro conservanda s. Ordinis disciplina generalis Conventus omnium Abbatum exemptorum¹⁾ intra fines suae Nuntiaturae existentium institueretur. Ecclesiam Abbatialem a praedecessore reformari coeptam in hodiernam revocavit maiestatem. Ad versiculam: „Tu ad liberandum suscepturus . . .“ ut omnes caput profunde inclinent, statuit. Romae morans praefecturam missionum Apostolic. pro superiori Styria et Carinthia a Congregatione de propag. fidei obtinuit. Benedictus etiam structuram nostri coenobii e fundamento 1640, ut videmus, architecta Dominico Sciassia Italo novam fecit,

Anno 1639 conventui in monasterio sequentia et plura alia inculcavit tam servari quam caveri:

1. Monasterio seu clausura egrediens sine licentia in pane et aqua ieiunet prima vice, secunda vice disciplinam faciet in capitulo, tertia vice per mensem in carcerem detur.

2. Eisdem poenas incurrunt in oppido divertentes ibique bibentes.

3. Ingredientes novitiatum et cum his confabulantes, silentium saepe saepius frangentes, discordias inter fratres seminantes, se turpiter inebriantes, dantes et accipientes quodcumque sine licentia, Superioribus suis resistentes seu conventicula facientes contra eosdem trimestri carcere sunt puniendi.

4. Prohibetur ingressus cellae alterius silentii tempore.

¹⁾ Das Stift St. Lambrecht erhielt unter dessen 2. Abte Jacobus vom Papst Paschal II. die Exemption (Bulla ddo 25. Mart. 1109). Zum 2. Male bestätigt auf dem Concil zu Rheims 1147, dem Abt Udalricus beiwohnte (Bulla maior 29. Mart. 1148). Die 3. Bestätigung der Exemption erhielt Abt Wernher vom Papste Alexander III. (Bulla maior ddo 28. Mart. 1178). Zum 4. Mal bestätigt vom Papst Innocenz III. (ddo 21. Mart. 1206). Unter Abt Walfridus (1221—1228) begann der Streit mit den Erzbischöfen von Salzburg, die die Exemption nicht anerkennen wollten. Der Streit dauerte mit zeitweisen Unterbrechungen bis 1662, in welchem Jahre er zu Gunsten des Stiftes endigte. Im Jahre 1785 wurde die Exemption durch Kaiser Joseph II. aufgehoben.

5. Severe iniungitur silentium diurnum quam nocturnum servare.

6. Plectendi sunt, qui sibi pecunias ex stola provenientes reservant.

7. Adhuc magis puniendi, qui discordias seminant inter confratres vel clam conspirant contra Superiores.

8. Aliquid dantes aut accipientes sine scitu Superioris claustralis.

9. Praecipitur, ut silentium etiam in secunda mensa servetur.

10. Colloquia constituentur in consortio Prioris praesentis vel Superioris atque taliter haustus porrigatur ac sumatur.

11. Prohibetur conversatio cum exteris et confabulatio sine licentia Superioris.

12. Suadetur mundities tam in cellis quam in vestimentis, lectisterniis. Inhibetur clausura cellarum ita, ut illas nequeat scrutari Prior vel Subprior.

Pro Cellis Marianis sequentia praescripsit:

1. Ut clausura quantum fieri potest, servetur, nullus sine licentia egrediatur, multo minus alienas domos ingrediatur, aut ibi moretur, edat, bibat, ludat, confabuletur et quidem sub poena excommunicationis regularis, amotionis vel alterius poenae.

2. Diebus recreationis omnes simul exeant et redeant.

3. Neque ullus culinam vel cellam vinariam etiam domesticam adeat sine praevia facultate; si quis haustu indigeat, prius a Superiore petat et nequaquam sibi ex oppido afferre curet, quod districte prohibetur.

4. Pro conversatione et distractione deputetur locus communis, nullus singulariter sine legitima causa se subducat.

5. Nemo sibi aliquam pecuniam ex stola aut aliunde proveniente[m] appropriet, sed fideliter Superiori vel Oeconomio extradat.

6. In mensa fiat lectio vel collocutio honesta, nullus clamor vel vociferatio, disputatio, sed modesta sermocinatio, paritas in gestu et habitu, quem aequalem omnes portabunt.

7. Vittae tamen rotundae cunctis prohibentur.

8. In mensa ultra sex vel septem fercula non admittantur, quae tamen diebus festivis, solemnitatibus aut quando labor maior est, augeri possunt; potus vero ratio, ut cuique sua consueta portio detur, quod remanet, ad cellarium referatur, cetera necessaria tempestive petantur et congruo tempore ministrentur.

9. Singulis mensibus habeatur capitulum, in quo Superior ea, quae corrigenda sunt et emendanda, proponat et emendare studeat, similiter omni anno singuli sua exercitia spiritualia faciant, quibus Superior congruum tempus praescribet.

Specialia pro Superioribus loci:

1. Ut specialem curam habeat officiorum divinorum simulque omnia cordi ducat, quae sunt ecclesiae vel sacrarii.
2. Distributionem temporis accurate observari curet, et omnibus diligenter invigilet.
3. Rationem congregationum in sua praesentia assumat.
4. Stolae proventus aliosque redditus ita utiliter impendat, ut Abbati de eis rationem reddere valeat.
5. Tempore studii et silentii attendat patribus et circumspiciat.
6. Similiter curam habeat puerorum et domesticorum neve ullus famulus per noctem absit et simul visitet, an omnia bene clausa sint.

Ex oppido Aflenz¹⁾ Benedictus Abbas R. R. P. P. Cellensibus sub 16. mens. August. 1644 praecepta dedit quoad temporis distributionem:

Vesperis hora V. recitabunt simul Matutinum cum Laudibus in hypocausto, quo persoluto sument coenam aut collationem, post hanc conversatio religiosa usque ad horam VIII., qua audita vel meditationi vel spirituali lectioni vacabunt usque ad III. quadrantem ad nonam, hinc preces vespertinae simul et examen conscientiae, hora nona cubitus in silentio. Mane hora quinta omnes excitabuntur et omnes excitati surgent, quilibet in sua cella orationem seu oralem seu mentalem faciet.

Primae missae omnes intersint, nisi qui impediti fuerint. Finita praemissa ad hypocaustum se conferent, nisi qui sacrum celebrare voluerint et ibi conversationem instituent usque ad horam octavam. Hora nona vel diebus ieiunii media decima omnes ad sacrum summum cantandum se accingent, a quo nullus nisi legitime impeditus emanabit. Finito divino officio et sonante hora decima ad prandium, diebus vero ieiunii hora undecima ad coenam accedent. Sumto prandio vel coena conceditur conversatio et distractio per integram horam, dein iterum studium vel lectio. Hora tertia post meridiem erunt Vesperae, quibus omnes interesse iterum debent et simul instar chori persolvere. Completorium privatim orabunt. Hora quinta ut supra Matutinum recitabunt. Dies recreationum erunt feria tertia et quinta, nisi vigilia vel aliud obstet. Atque haec ordinatio omnibus stricte observanda proposita est sub poena amotionis etiam Superiorum, ni diligenter custodiant et observari faciant, simulque iubetur, ne quis domum in oppido ingrediatur excepta provisione.

¹⁾ Aflenz, eine dem Stifte incorp. Pfarre südlich von Maria Zell, mit grossen Stifftsgütern, dem Stifte bei dessen Gründung gegeben; hier befand sich seir 1155 bis Ende des 18. Jahrh. ebenfalls ein Convent, aber von geringer Mitgliederzahl.

Statuta ab Abbate Francisco conventui in monasterio proposita.

Franciscus nobil. de Kaltenhausen, Abbas (1662—1707) erat Styrus Graecensis. Disciplinas theologicas et philosophicas in monasterio ipso tradi curavit 1683. Monasterium foedere cum Archimonasterio Cassinensi intime coniunxit et privilegia s. d. „Cassinensia“ obtinuit (decr. Innocentii XI ddo Romae 10. Dec. 1677). Franciscus erat vir sapiens, pius, prudens, magnanimus, apprime disciplinae monasticae studiosus et officii divini digne celebrati. Novam structuram monasterii et amplificationem eccl. Cellensis continuavit et ex parte maiori perfecit usque ad ann. 1700.

Anno 1684 circa haec statuta sunt confecta:

1. Ut in mensa ordinaria nulli cibi extraordinarii sine licentia Prioris inferantur.

2. Peracto prandio vel coena nullus ad refectorium revertatur praeter lectores et servitores mensae et non ibidem conventicula instituantur.

3. Ne ob quoslibet advenientes hospites etiam gremiales tabula instituantur.

4. Ad mensam hospitem non promiscue omnes invitentur, sed quibus visum fuerit Abbati vel Priori.

5. Medicinas sumere volentes et phl botomia utentes prius facultatem petant a Priore et mandatam ad Pharmacopoeum; tempore communis usus medicamenti vel phlebotomiae tabulam suam habeant in refectorio vel dispensa.

6. Ascensus ad arcem¹⁾ sine licentia Prioris est vetitus, multo magis egressus ad oppidum sine petita et obtenta facultate, exceptis eis, qui ex necessitate aut officii causa egredi debent. Quantum ad recreationes peculiares, e. g. lusus, venationes, iaculationes etc., nec facile nec frequenter permittantur a Superioribus, sed nonnisi ex iustis et honestis modis et causis, arma autem qualiacunque severissime prohibentur, ea penes se vel in cella servare et si quis in hac parte observantiam non praestaret, gravissimae vindictae subiaceat.

7. Epistolae seu ex posta seu aliunde advenientes non officialibus nec aliis quibuscunque tradantur, sed ad manus Prioris

¹⁾ Das ursprüngl. Jagdschloss des Stifters, innerhalb der Stiftsringmauern auf einer Anhöhe, diente bis 1783 als Unterrichtsgebäude und als Wohnung der Professoren, Cleriker, auch von anderen Abteien, z. B. Admont, Ossiach, Seitenstetten, Victring, sogar St. Martin in Ungarn und Gymnasiasten. Zur Zeit der Aufhebung des Stiftes (1786—1802) dem Verfalle preisgegeben, wurde dasselbe, da die Herstellungskosten zu hoch sich belaufen hätten, vom Abt Joachim II. in den Jahren 1840—44 ganz abgetragen; nur ein Thurm und eine Marienkapelle blieben übrig. Jetzt ist an Stelle des Schlosses ein Park angelegt.

consignentur, qui illas, sicuti illi visum fuerit, distribuit nec alias expendantur rursus, nisi sigillo conventus muniantur.

8. Si quis ad conciones panegyricas ab exteris invitatur, eas suo benebarbitrio non potest accipere, sed P. Prioris assensu.

9. Prior non habet potestatem concedendi itinera vel peregrinationes, excursions longiores remotioresque, nisi qua singularis necessitas occurrat, ne officialibus quidem longius proficiscentibus absque intimatione Praesuli facta. Potest tamen facultatem dare exeundi ad loca propria, e. g. ad Aulam Marianam ¹⁾ aut alia loca propinquius adiacentia ad unum alterumve diem, modo rationabiliter et discrete fiat.

Statuta quoad exercitia religiosa data anno 1691:

Matutinum una cum Laudibus et meditatione una hora et quadrante debet durare; diebus Dominicis et festivis hora 8^{va} concio duratura circiter ad nonam, dein tertia, sub qua compulsatio, dein sacrum solemne, postea sexta et nona psallendae, exceptis diebus, quibus rosarium menstruum publice recitari et processio cum statua B. M. V. haberi solet, tunc enim tertia unacum prima psallatur, recitatio vero rosarii et processio mox finita concione fiat.

Porro statutum est, quantum ad edormitiones, ut patribus binis vicibus, fratribus semel, novitiis vero rarius edormire concedatur per hebdomadam, nisi aliud obstet. In magnis solemnitatibus autem nullus edormire sinatur, nisi concionator vel aegrotus. Porro, ut ad festum duplex 12 vel 13, ad semiduplex 10 vel 11 excitentur. Ab horis diurnis nullus conventualium exemptus sit. Studentes fratres exempti sunt a choro exceptis diebus solemnibus, quibus ad Matutinum surgere et de die ad tertiam comparere debebant vel etiam, quando necessitas postulabat. Officiales uti oeconomus, aulae praefectus, professores, praefecti scholarum aut etiam seniores ab omni prorsus chori frequentatione absoluti erant, ast haec indulgentia sive exceptio successive inolevit.

Circa horas diurnas statutum est, ut tertia in posterum ordinarie media decima cantetur, hac finita sacrum conventuale et postea sexta et nona psallatur. In Adventu et diebus ieiunii hoc tempore cantetur sexta, in Quadragesima vero nona, quia Vesperae inchoabantur post missam conventualem. Quoad refectiones ordinabatur, ut haec omnibus diebus aequabiliter sumantur, nempe hora 11^{ma}, collatio vero vespertina pro varietate temporis media sexta vel 3^{ta} quadrante ad illam, coena autem semper hora 5^{ta}.

Antonius Stroz Abbas ad S. Lambertum ab anno 1707—1724.

Antonius Stroz Abbas, Styrius Graecensis, s. Theologiae professor in monasterio, in universitate Salisburgi et ad Scotos

¹⁾ Eine dem Stifte incorp. Pfarre, 2 Stunden von St. Lambrecht entfernt.

Viennae, Protonotarius Apostolicus erat vir valde pius et diligens. Munus abbatiale subiens invenit vitam religiosam et scientificam florentem. Tamen monasterium propter magnifice et sumptuose aedificata plurima aedificia maximo debitorum numero pressum erat. Cuius operae industriaeque successit, ut debita monasterii ultra dimidium deminueret. Ubique quam maximam simplicitatem et parsimoniam introduxit ipse fratribus optimum praebens exemplum. Vestitum cum religiosis communem habuit, famulatum modicum, cibum levem. Quotidie ipse pauperibus distribuit, quos „amicos suos“ vocabat. „Piissimam vitam pari morte clausit 28. Nov. 1724, in administratione spirituali et temporali a Deo singulariter benedictus, in aeterna manebit memoria.“¹⁾

Puncta a venerabili conventu Abbati Antonio anno 1713 proposita:

1. Ut deputentur pro conventu confessarii prudentes, qui dubia solvere et poenitentes solari possint.

2. Ut Abbas mentem suam explicet, an reservans tres florenos sit proprietarius vel sub gravi peccato eosdem apud P. Priorem deponere teneatur.

3. Gravamina religiosorum audiantur et iisdem liberior accessus ad Abbatem pateat.

4. Correctiones paterna mansuetudine condiantur et potius amore, quam timore regantur.

5. Delatoribus faciles aures non praebeantur nec inauditus quis condemnetur.

6. Defectus, quos P. Prior per se corrigere potest, per se faciat nec statim Abbati deferat.

7. Ante capitula vota non colligantur.

8. Mutationes et missiones religiosorum non praecipitentur, sed eisdem congrua mora praevia insinuatione permittatur.

9. Maior cura habeatur infirmorum et constituatur unus confratrum, qui eos visitet et soletur.

10. Conventui in cibis melius provideatur et in praeparatione ciborum maior industria adhibeatur vinumque competens subministretur.

11. Necessaria quoad vestitum et alia ad preces religiosorum humillimas promptius suppeditentur.

12. Pauperibus in dispensa nihil subtrahatur et maiores eleemosynae fiant.

13. Circa ministerium mensae antiqua consuetudo observetur et fratres studiosi a servitio non eximantur.

¹⁾ So schreibt ein Chronist vom vorigen Jahrhundert.

14. Frequentius conventui solatium in excursionibus concedatur.

15. Cubicula exigente frigoris rigore ad medium Octobris saltem alternis diebus calefieri mandentur.

16. Extranei in officiis non constituti ad longum tempus extra monasterium non permittantur.

17. Monitor constituatur, qui querelas conventualium ad praecavendas exurgentes passiones P. Priori proponat.

18. Capitalia sine praevio consensu capituli nulla suscipiantur.

19. Creditoribus magis indigentibus usurae pro possibili exsolvantur.

20. In rebus maioris momenti etiam extraneorum consensus requiratur.

21. Abbas conventuales sua gratiosa praesentia in refectorio saepius consolari dignetur.

E contra ab Abbate Antonio sub 23. Nov. 1713 sequentia statuta proposita sunt capitulo:

1. Ut s. psalmodia et celebratio missae cum debito decore et devotione necnon consuetis pausis et mora temporis fiant.

2. Ut silentium tam diurnum quam nocturnum ad amussim servetur.

3. Ut ingressus cellarum tempore silentii omnino absit, minus vero saecularium ibidem conventio etiam quocumque alio tempore fiat.

4. Ut ad chorum, etiamsi Vesperae sint feriales, dato signo campanarumque compulsatione omnes ocius occurrant ibique cum omni modestia religioaque gravitate praecisis iocis aut cachinnis intersint; finito autem choro cum eadem modestia religiosa ac servato moderato silentio ad suas cellas se conferant.

5. Ut post mensam vel quolibet alio tempore recreationis ab omnibus risibus vel offensivis discursibus ac murmure sibi temperent.

6. Ut absque licentia et benedictione P. Prioris nullus praesumat quidquam vel iuvenibus vel aliis ex refectorio deferre, sed omnia remanentia pauperibus cedant.

7. Ut sacrum habitum tam curtum quam longum omnes in antiqua forma deportent, neque lubrica et dissoluta collaria nec collipendia in itineribus nigra aut alias colorata superinducant; conceditur tamen, ut exeuntes in curtis togis ad recreationes vel provisiones vel foris in parochiis vel praepositis existentes sub pileo aut alias (tempore dumtaxat aestivo) rotundis caputiolis utantur, a sericis autem et nobilioribus omnes abstineant.

8. Ludere ultra unum alterumve cruciferum omnibus omnino sit prohibitum.

9. Prohibentur serio occultae vel per linguam vel per litteras scandalosae fratrum detractiones et conficta mendacia. quibus

procul dubio non tantum graviter in bonam famam totius religiosae communitalis impingimus, sed et conscientiam nostram et ipsum Deum irritamus, unde potius sincerac et apud omnes laudatissimac charitali, quac omnia suffert, et omnem apud Deum benedictionem meretur, modo possibili deinceps studebimus.

10. Occultae practicationes vini aut aliarum rerum omnibus omnino sint interdictae.

11. Religioso intra monasterium degenti et extra publicum officium constituto atque sacerdoti non liceat apud se vel in cella sua retinere ultra tres florenos, nondum sacerdoti, sed clerico unum florenum, extra monasterium degenti sex florenos, residuo, si quis habet, apud superiorem loci deposito.

12. Erga superiores debita reverentia et humilitas exhibeatur procul contentionibus, inobedientia et si quis pro suis defectibus corrigitur, neque resistere neque importune obstrepere praesumat, sed potius commotum superiorem iuxta litteram sacrae regulae lenitate morum et humilitate reconciliare sibi studeat.

13. Prohibetur serio, ut nullus vel de suis necessariis aut vestimentis vel libris aliisque ad usum sibi datis aut concessis aliquid vel dividat vel cum alio permutet sine superiorum licentia.

14. Ut ad Aulam Marianam pro refrigerio ire concessi vel ad parochias exeuntes alio non divertant nisi desuper expressam superiorum licentiam habeant.

15. Et ultimo mandatur, ut superflua in vestimentis aliisque rebus praesertim mere voluptuosis quilibet a se amputet et vestiario tradat neque mutaturi locum et intra vel extra monasterium euntes plus secum deferant, quam necessitas aut congrua cuiuslibet substantia requirit. Accedit et his, ut quac vel secum capitulariter vel alias in monasterio vel in aliis nostris religiosis domibus fiant, foras vel ad saeculares vel ad aliorum impertinentium aures neutquam divulgent.

Statuta, quae Chilianus Wehrlein Abbas (1725—1737) anno 1730 dedit.

1. In virtute sacrae obedientiae prohibitus est accessus iuvenum seu musicae seu litteris studentium ad cellas conventualium vel musaea theologorum et philosophorum sine praevia licentia superiorum, quod iam vetitum erat sub Abbate Joanne IV. Trattner.¹⁾

¹⁾ Johannes IV. Trattner Abbas (1562—1591) zelo verae religionis inflammatus feliciter praestitit, ut praecipua monasterii sui loca a serpenti Lutherana haeresi immunia evaserint. E religiosis unus tantum apostata notandus est, qui autem reversus poenae regulari est subiectus. Joannes Abbas erat etiam Commissarius C. R. Ferdinandi II. Catholici pro expurganda Styria de haeresi. Unter ihm war die Clausur so strenge, dass ohne schriftliche Erlaubnis des Abten niemand das Kloster verlassen durfte.

2. Nequis, quorum non interest, cum hospitibus colloquatur aut conversetur, nisi ei concedatur vel demandetur neque se quiscunque ingerat rebus ad se non pertinentibus.

Statuta ab Eugenio Abbate anno 1748 capitulo S. L. proposita.

Eugenius comes de Inzaghi, Abbas (1737—1760) Styri Graecensis Romae sacerdos factus est anno 1712, ubi studia in collegio Romano absolvit et lauream doctoralem obtinuit. Ut Prior anno 1737 in Abbatem S. Lamberti creatus est. Etiam Protonotarius Apostolicus erat. Quidam rerum suarum modus et ordo atque externus quidam splendor regiminis huius praesulis sunt proprii. Quam maxime studebat, ut disciplinam monasticam servaret. Ordinem in administratione spirituali et temporali vigere voluit. In omnibus actionibus suis monasterii auctoritatem et amplitudinem optime conservare calluit. In partibus summarum animi exercitationum et operarum activarum diversis multum est versatus. Affabilitatem auctoritate conditam prae se tulit.

Statuta capitulo proposita sunt haec:

1. Laudabilis observantia nostri monasterii et piorum antecessorum nostrorum semper fuit, quod religiosi vitrum tractarunt bibendo duabus manibus, quae observantia in nostro monasterio ideo introducta est, ut monachi bibendo memores forent potus temperanter sumendi conformiter s. regulae, ne subrepat satietas aut ebrietas, quare mandat R. D., ut laudabili antiquae consuetudini insistatur.

2. Animadversum est, quod in incessu, accedendo et recedendo a choro et refectorio non servetur illa sensuum externorum praecipue manuum compositio ac incessus gravitas condecens virum morigerum et religiosum, quin passim fratres praesertim in ambulacris manus hinc inde gyrent, quae maximam corporis et spiritus dissolutionem indicant et gravitatem religiosam defoedant.

3. Quemadmodum Lambertini speciales cultores B. M. V audierunt, ita in signum cultus sui Mariani cingulis suis appensa rosaria deportarunt, quae pia observatio in fratribus praesertim expirasse videtur, inde monentur singuli, ut in posterum hoc signum Mariani cultus deferant.

4. Quamquam R. D. Antonius Abbas in generali capitulo 1713 celebrato prohibuerit vestimenta aut strophia ex serico¹⁾. contexta, quae prohibitio pluribus quidem annis fuit observata, de facto tamen et intra et extra monasterium iste abusus irrepit, quod indiscriminatim strophia et tibialia ex serico deferantur et quidem sub deformi specioso praetextu allegari solito vel quod dono accipiantur vel in his sericis portandis nulla prorsus inter-

¹⁾ § 7 der Statuten.

cedat prodigalitas aut vana ostentatio, sed sit bona oeconomia, utpote quod strophia serica non tam cito atterantur et lacerentur, quemadmodum strophia ex communi tela confecta. Huic obiectae speciosae excusationi obiicit R. D. tum sacram regulam, quae praescripsit, ut id monachis concedatur, quod vilius¹⁾ comparetur, insuper nec liceat, quidquam habere, quod Abbas non dederit²⁾ aut permiserit, tum maxime antiquam laudabilem monasterii et antecessorum nostrorum consuetudinem, qui paupertatem observantes vestimenta sua munda tractarunt neque unquam sericis strophiiis aut tibialibus fuere usi, ne dignitatem Abbatis aemulari viderentur, cui soli in nostro coetu usus sericorum competeat nec unquam inferioribus fuit concessus aut permissus.

5. Praeterea animadversum est, quod quidam ligamina ex serico et auro intexta in suis baculis portent appensa, item caligas cum nodulis et ligaturis more mundi sectatorum, porro etiam clausuras in calceis solito maiores, quae omnia sapiunt mundi vanitatem, horum igitur usum R. D. absolute prohibet et interdicat.

6. Ipse R. D. non sine indignatione propriis auribus audivit, quod tum R. R. P. P. praesertim iuniores, tum R. R. Fr. Fr. se invicem tuizent et dominos vocent, nullo addito nomine s. professionis, qui nominandi modus aperte contra s. regulam, ubi S. Pater noster in cap. 63 praescripsit, ut in ipsa appellatione nominum nulli liceat, alium puro nomine nominare, sed priores iuniores suos fratres nominent, iuniores autem priores suos nonnos vocent, quod intelligitur paterna reverentia. Abbas autem Dominus et Abbas vocetur, quod ergo soli Abbati e sacra regula attribuitur, id nobis usurpandum non est, qua de causa Martinus Abbas advertens inter fratres tuizationes,³⁾ eas utpote rusticanas sub excommunicatione regulari per generale statutum interdixit et quemadmodum nec domini sumus in particulari, ita nec nos invicem tamquam dominos revereri possumus, nisi alte de nobis ipsis sentire velimus, unde R. D. districte prohibet domini titulum et tuizationes rusticanas.

7. Statuta regularia nostra hic publice in capitulo affixa inter reliqua prohibent accessum ad pharmacopoeiam et medicinae petitionem sine expressa licentia superiorum, quae statuta quoad hoc punctum conformia sunt generali capitulo sub R. D. Francisco Abbate 1684 celebrato, ubi § 5 statutum est, ne quis ingrediatur pharmacopoeiam et ex eadem medicinam petat in scio P. Priore, unde semper P. Prior schedam dabit petenti et mandatum pharmacopoeo, quae sunt petenda; quae constitutio a tot annis inviola-

1) Cap. 55 der hl. Regel.

2) Cap. 33 der hl. Regel.

3) § 12 der Statuten des Abtes Martin vom Jahre 1601.

biliter observata de facto a quibusdam non immodice transgreditur, quasi pharmacopoeia non foret locus extra clausuram constitutus, ex qua nemini licet egredi absque licentia Superioris; statuit ergo R. D., ne quis praesumat in posterum sine licentia superioris ingredi pharmacopoeiam sub quocunque demum praetextu.

8. Severissime semper prohibitus est accessus unius ad cellam alterius praecipue tempore silentii nocturni, quem accessum¹⁾ iam Benedictus Abbas in generali capitulo 1639 prohibuit ac novissime Chilianus Abbas per speciale decretum²⁾ 1730. Quod decretum R. D. Eugenius tam publice quam saepius renovavit paterne hortando, ne iuvenes ad cellas vocentur; quia vero tam frequenter admonitiones mala observantia pessumdatae fuerunt, hinc denuo prioribus decretis inhaerendo R. D. severissime prohibet accessum et vocationem iuvenum ad cellas aut saecularium; nam est animadversum, quod quidam magis ament conversationem et confabulationem saecularium ac plebis trivialis, quam ipsorum confratrum religiosorum.

Statuta pro religiosis clericis in vacantiis ab eodem Abbate Eugenio praescripta anno 1748.

1. Ubicunque vacationes habebunt, si adsit aliquis R. P. Professor, omnes sub eiusdem directione stent, si nullus adsit Professor subsint directioni Superioris localis.

2. Conceditur recreatio vacationum ita, ut tamen a studiis non plane desistant, sed quotidie una hora ad minimum sese eisdem impendant.

3. Indulgetur omnis honestus lusus, si est inter limites paupertatis sacrae et ne ultra horam decimam noctu protrahatur.

4. In vigiliis Sanctorum, item feria VI. et sabbato ab omnibus lusibus intelligendo hoc a tempore Vesperarum abstinebunt.

5. Non conceditur solitarius exitus ad longius spatium, minus admittitur accessus ad aliquod hospitium adiacens, oppidum sine expressa licentia aut R. P. Professoris aut eo absente P. Superioris localis.

6. Conceditur tamen interdum, sed raro cum sclopetis exire, non autem venationem eum cane et canibus instituere, nisi quando Superior loci aliunde talem venationem instituere velit aut saltem rogatus consenserit, quod ipsum intelligendum est de traiectione ad metam. Haec facultas tamen non est concessa prae pomeridiano tempore, in vigiliis Ss. aut sabbato, ut neque in diebus dominicis aut festivis.

1) § 4 der Statuten.

2) § 1 des Decretes.

7. Diebus dominicis et festivis ad s. synaxim accedant et quidem quantum fieri potest, non privatim sed simul sub sacro cantato ad populi aedificationem.

8. Si voluerint habere haustum vespertinum, pro eo rogabunt idque tribus vicibus in septimana et supposito, quod in tabula extraordinarius haustus datus non fuerit. Haustum huius vespertinum his tribus vicibus possunt differre ad coenam.

9. Commendatur omnibus religiosa pietas, devotio et modestia morum in omnibus, item reverentia erga religiosos locales et R. P. Professores ac inter se in Deo charitas.

10. R. P. Professores et Superiores locales invigilabunt, ut statuta haec bene observentur, de quibus in fine R. D. Abbati rationem dabunt.

Personal-Veränderungen im Benedictiner- und Cistercienser-Orden im J. 1889.¹⁾

Zusammengestellt von P. Florian Kinnast, O. S. B. aus Admont.

Durch den verspäteten Empfang der auf diese Arbeit bezüglichen Mittheilungen konnte heuer dieser Aufsatz erst für das III. Heft der »Studien« fertiggestellt werden.

Der Verfasser hat von mehreren Seiten recht ermunternde Aufforderungen erhalten, welche ihn bestimmten, diese mühevoll zusammengestellte Zusammenstellung zu vollenden; durch Zusendung des letzterschienenen Kataloges jedes Ordenshauses, sowie durch Mittheilungen der Veränderungen im Personalstande von Fall zu Fall, oder doch mindestens bald nach Schluss jedes Kalenderjahres²⁾ würde diese mühsame Arbeit wesentlich erleichtert, könnte in dem I. Hefte der »Studien« jährlich erscheinen, brauchte nicht durch anderweitige Nachrichten überholt zu werden und an Wert zu verlieren.

Indem der Verfasser für die gelieferten Daten den hochw. Herrn Mitbrüdern bestens dankt, bittet er um allseitige Unterstützung in dieser Richtung.

A. Benedictiner.

Admont. Eingekl.: 29. VIII. Fr. Marquard König, geb. 29. V. 1870 in Rossegg, 14. IX. Fr. Ansgar Winter, geb. 3. IX. 1869 zu Haders in Niederösterreich, 10. X. Fr. Werner Polter, geb. 26. IV. 1870 zu Mähr.-Schönberg, 10. X. Fr. Albuin Hofer, geb. 26. X. 1868 zu Zelting.

Ausgetr.: 17. VII. Fr. Erich Foglmüller, Theolog des I. Jahrg., 6. IX. Fr. Gundachar Reiner, Noviz.

Einf. Prof.: 7. IX. Fr. Agatho Mühlböck.

Feierl. Prof.: 28. IX. Fr. Blasius e. v. Schouppe, Fr. Raimund Miklavc.

Ordin.: 13. I. Fr. Modest Prinz, 6. X. Fr. Blasius e. v. Schouppe, Fr. Raimund Miklavc.

Primiz: 20. I. P. Modest Prinz, 13. X. P. Blasius e. v. Schouppe, P. Raimund Miklavc.

¹⁾ Siehe Jahrg. X., II. Heft., S. 265 u. figd.

²⁾ Zusendungen werden erbeten unter der Adresse: P. Florian Kinnast, O. S. B. Kraubath (Steiermark), Post im Orte.